



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 50. Cardinalis Sylvii extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Noviomensi Episcopis. Mortuo demum Sæcul. XVI.
A.C. 1556.
Cardinale Prato Archipræsule Seno-
nensi eandem Sedem obtinuit, ac paulo
post Margaritham Valesiam Francisci I.
Filiam matrimonio conjunxit cum Ja-
cobo Scotiæ Rege in Parisiensi D. Ma-
riæ Templo, & Anno millesimo quingen-
tesimo quadragesimo sexto Henricum II.
primo-genitum Francisci Regis Filium
aqua Sacri Baptismatis abluir, atque
anno sequenti exequias ejusdem Fran-
cisci I. in Basilica S. Dionysii celebra-
vit, ubi etiam Anno Salvatoris nostri
millesimo quingentesimo quadragesimo
nono Catharinam Medicæam Franciæ
Reginam inauguravit, missusque postea
fuit tanquam Sedis Apostolicæ Lega-
tus in Sabaudia Ducatum. Tandem
pluribus aliis magni momenti negotiis
rite defunctus Parisiis die undecima
Martii in Palatio Borbonico mortalita-
tem exiit, postquam sexagesimum ter-
tium ætatis suæ annum emensus fue-
rat. In ejus funere Petrus Gemellus
insignis illius ævi Orator perorabat.

§. L.

Cardinalis Sylvii extrema.

Inter Cardinales hoc anno defunctos Ciazon.
n. 675.
Andr. Vi-
lore in ad-
dit.
tertius erat Michael Sylvius Lusita-
nus ex perillustri Comitum Portalegrio-
rum familia natus. Hic a teneris arti-
poe-

Sæcul XVI. poeticæ, literisque humanioribus non
A. C. 1556. sine magno profectu imbutus erat: ast
 tandem ejusmodi studia pertæsus magis
 solidæ exercitationi operam navare
 cœperat, & præprimis latini sermonis
 elegantia clarus, oppido facundus Ora-
 tor evasit. Hujus Viri meritis capti
 Emanuel, & Joannes III. Lusitaniæ
 Regeseundem in Aulam vocabant, Le-
 gatumque ad Leonem X. Adrianum VI.
 & Clementem VII. summos Pontifices
 decernebant. Postea Sylvius a Joanne III.
 ad Visensem Episcopatum evectus est:
 verum progressu temporis Regis gratia
 excidens Romam secessit, ubi a Paulo III.
 Cardinalium numero adscriptus est: haud
 certum tamen est, utrum Anno Christi
 millesimo quingentesimo trigesimo nono,
 vel circa annum Domini millesimum
 quingentesimum quadragesimum pri-
 mum creatus fuerit. Porro eo tempore
 Venetiis Sedis Apostolicæ Nuntium
 agebat, cum ad hanc dignitatem una-
 cum titulo SS. duodecim Apostolorum
 ad preces Lusitaniæ Regis, cui recon-
 ciliatus erat, a summo Pontifice sese
 evectum intelligeret: paucis vero post
 mensibus ab eodem Papa in Hispaniam
 ad Carolum V. pro pace inter eundem,
 & Franciæ Regem concilianda decerne-
 batur, qua legatione functus Massensi
 Ecclesiæ in Etruria præfuit, Piceni-
 que

Paul. Jov.
in elog.
Ughel. Ital.
Sacra.

que primo, & dein Bononiensi Legatione donatus est. Romam vero reversus Mense Junio Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto e vita migravit, postquam Vifensem Ecclesiam Farnesio Cardinali cesserat. Multa carmina felici vena conscripsisse perhibetur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1556.

§. LI.

Aquaviva Cardinalis mortuus.

Quartus erat Joannes Vincentius *Ciacon.*
Aquaviva, cujus Pater fuit Matthæus *p. 679.*
de Arragonia tertius hujus nominis Atriensis Dux, Bituntinus Marchio, ac Interamniæ Princeps: Mater vero Isabella Piccolominæa de Arragonia Antonii Amalphitani Ducis Filia. Præprimis Vincentius arcis S. Angeli Præfectum agebat; postea vero Melphienſi Episcopatu, ac denique a Paulo III. purpura Romana sub titulo SS. Silvestri, & Martini in Montibus decorabatur eo tempore, quo idem Pontifex die trigesima prima Maji Anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo quadragesimo secundo Cardinales creaverat. Vincentius cum suam Ecclesiam non sine ingenti sollicitudine, ac virtutum exemplo rexisset, hoc anno die secunda Augusti obiit.

§. LII.